

potestas tradita evinceretur. *Apollonium* artibus magicis deditum fuisse, *PHILOSTRATUM* autem scriptorem seculo posteriorem ejus vitam pluribus mendaciis et fabulis incerto auctore relatis infareisse, ostendunt præter *EUSEBIUM CÆSARIENSEM* plures alii. Verum et ea, quæ de *Apollonio* narrantur, aut naturam aut dæmonum vires non excedunt: nam resuscitationem illius puellæ ipse *Philostratus* sic proponit, ut dicat vitalis auræ scintillam forte adhuc latentem medicos fugisse: raptus ex oculis *Domitiani* dæmonum ministerio, ab iisdem doceri poterat Ephesi, quæ Romæ contigerant: præterquam vero quod maxime variant Historici in morte *Apollonii* referenda, mirandum sane non videtur, si dæmones corpus malefici ac spiritum una asportarint. Miracula *Vespasiani* extenuat ipse *TACITUS*, *Hadriani* vero irridet *MARIUS MAXIMUS*; unde merito propria miraculorum ratio iisdem denegatur: quanquam et *Vespasiano* datam a Deo vero miraculorum facultatem concedi possit, ad auctoritatem scilicet illi comparandam, qui tanquam justitiæ divinæ minister destinatus erat ad templi Hierosolymitani ac urbis excidium Judæorumque per orbem dispersionem. *Antichristo* non futuram potestatem vera miracula patrandi docet ipsum testimonium allatum, cum integrum sic habeat: *In omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt.*

38. *Observe.* Bina sunt hæreticorum de Polytheismo systemata, alterum de duplici principio summo, alterum de *Æonibus*. 1^{um}. Jam olim inter Gentiles disseminatum fuisse certum est ex idololatriæ historia. *Ægyptii* enim in *Iside* et *Osiride* duo principia contraria venerabantur: *Persæ* *Oromasdem* dicebant causam boni, et *Arimanium* causam mali; inter Græcos Philosophos *Stoici*, præsertim *Democritus* et *Chrysippus*, præter fati necessitatem statuerunt incompositam materiam adversari naturæ beneficæ, atque duo hinc adversantia principia agnoverunt. A Stoicis error hic transit ad *Gnosticos*, quorum auctor ab aliis *Simon Magus*, ab aliis *Basilides Menandri* a *Simone* edocti discipulus statuitur. Inter hos *Cerdo* *Basilidis* discipulus jam a *TERT. L.* de *Præscript.* c. 51. commemoratur admisisse duo initia, id est, duos Deos, unum bonum et alterum scævum; quo magistro usus *Marcion* eandem hæresin vergente seculo secundo disseminare cœpit: latius etiam sparsit *Manes*, a suis *Manichæus* dictus, post medium seculi tertii, quos is sibi 22 discipulos adscivit. *Marcionitas* oppugnavit *TERTULLIANUS* integris libris quinque, *IRENEUS L. 4.* adversus hæreses, *CLEMENS ALEX. L. 3.* *Strom.*; *Manichæos* autem præter *EPIPHANIUM*, *THEODORETUM* aliosque plures luculentissime insectatus est *AUGUSTINUS*, editis tum ante tum post *Episcopatum* libris pluribus, maxime autem *Libro de natura boni et L. 21.* cont. *Faustum* capitale hoc eorum dogma confecit. 2^{um}. De *Æonibus* systema ex paganismi fabulis fidei nostræ admixtis penitus consutum atque ad determinatum tum classium tum Deorum numerum limatum est a *Valentino* seculi secundi hæretico, cui se maximis viribus opposuerunt inter reliquos Patres præcipui *IRENEUS L. 2.* adv. hæres. et *TERTULLIANUS. L.* adv. *Valent.* hos vide. Sane *Deus malus* suamet absurditate opprimitur, et quæ pro eo facere videntur, passim exigui momenti sunt, ac alibi dissipantur.

CAPUT II.

DE ESSENTIA DEI.

ARTICULUS I.

AN DEUS SIT ENS INCORPOREUM.

Nota. Præter *Polytheos* Diis suis humana membra ac sexum tribuentes; præter veteres illos Philosophos, qui Deum velut mundi animam admittebant; præter impiissimum *Spinozam*, sub Dei nomine ipsam rerum universitatem commentum; circa Dei substantiam e Judæis errarunt *Sadducei* qui neque resurrectionem agnoscebant neque spiritum, ideoque ab *Arnobio*, *L. 3. c. 12.*, inter defensores Dei corporei recensentur: a Christianis aut similis aut æqualis erroris accusantur *Seleucus* et *Hermias*, a *S. AUGUSTINO* *Manichæi*, qui docebant Deum infinita mole diffusum esse, non undique tamen, sed tribus quadris infinitum; a *SOCRATE* et *SOZOMENO* *Monachi* plures *Ægyptii*, qui seculo quarto in eum errorem desciverunt, quod Deus sit *Anthropomorphos*, h. e. humanæ et corporeæ formæ, unde et *Anthropomorphita* appellati sunt.

39. *Dico.* Deus purus est Spiritus, omnis corporis expers.

Prob. I. ex SCRIPT. *Joan. 4. 24.* Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare. 2. ad *Cor. 3. 17.* Dominus autem Spiritus est. Nomen autem Spiritus hic proprie et ad litteram usurpatum, probat finis et intentio Christi, qui priore loco Samaritidem mulierem docet, Deum adorandum non corporeo cultu vel uno tantum in templo, sed mente et ubique, quia nec ipse corpus est, nec uno duntaxat loco inclusus. Tribuit Deo ea, quæ corpori congruere nequeunt, sed tantum Spiritui, qualia sunt immensitas, immutabilitas, immortalitas, et similia attributa. Asserit nullis lineamentis describi, nulla imagine depingi posse Deum, *Isa. 40. 18.* Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Ergo.

II. ex TRAD. Ecclesia, quæ *Anthropomorphitas*, ex quo orti sunt, semper inter hæreticos habuit, in *Conc. Later. IV. Cap. Firmiter*, sic definit: Una est Dei essentia, substantia seu natura, simplex omnino. SS. PP. omnes uno ore profitentur hanc doctrinam, et pluribus etiam rationibus confirmant; *ORIG. L. 1. de Princip. c. 1. n. 6.* ait: Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est; sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens..., ut sit ex omni parte μόνος, et, ut ita dicam, ἕνας et mens. *S. HILAR.* in *Psalm. 129. n. 3.* Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. *S. AUG. L. 8. de Civ. c. 5.* Porro si noster

animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? S. GREG. NAZ. Orat. 28, n. 7. *An corpus eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figuræ expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi nec oculis cerni queat?* etc. His addi possunt tum consensus Judæorum, qui Sadducæos semper ut hæreticos habuerunt; tum veterum Philosophorum testimonia ab HUETIO collecta, inter quos Deum omnis corporis expertem docuerunt PYTHAGORAS apud Lactant. de ira Dei c. 11. XENOPHANES apud Clem. Alex. Strom. L. 3. p. 601 (ed. Paris. 1629). PLATO apud Aug.

Conf. ex notione entis necessarij ac omniperfecti; ex prædicatis immensitatis, immutabilitatis, immortalitatis aliisque similibus; ex Dei præcellentia præ anima rationali et alio quocumque spirituali ente.

40. *Nec dicas* 1°. Scriptura S. Deo tribuit, quæ corpori sunt propria et ab eo dependent: membra et sensus corporis ex Psal. 33. *Oculi Domini super justos; et aures ejus in preces eorum;* Genes. 8. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis;* Isa. 1. *Os Domini locutum est;* Exod. 6. *Rédimam in brachio excelso;* Job. 10. *Manus Domini fecerunt me;* Exod. 8. *Digitus Dei est hic;* Isa. 66. *Terra scabellum pedum meorum.* 2°. Tribuit ei dimensionem et situm Job. 11. *Excelsior cælo est... profundior inferno... longior terra... latior mari.* Isa. 3. *Stat ad judicandum Dominus;* et 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum;* etc. 3°. Affectiones interiores corporis et sensuum, penitentiam scilicet ac iram, Genes. 6. *Pœnitet me fecisse hominem;* Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me;* quibus verbis proprietatem affectionum significari probant, quoad 1^{um}. verba præmissa: *Tactus dolore cordis intrinsecus: delebo, inquit, hominem;* quoad 2^{um}. autem Lactant. L. de ira Dei c. 5. ubi quamvis neget in Deo esse alias affectiones, iram tamen locum habere contendit.

R. D. A. Scriptura, quæ corpori sunt propria ab eoque pendent, Deo tribuit in sensu proprio et secundum litteræ rigorem N. in sensu tropico et secundum modum loquendi cogitandique humanum C. Quandoquidem homo sic comparatus est, ut, quæ pure spiritualia sunt, vix queat intelligere, nisi sub involuero corporeæ cujusdam imaginis; Scriptura huic infirmitati sua verba accommodans, Dei attributa delineavit sub proprietatibus corporis. Hinc intelliguntur per *faciem Dei* intima visio et familiaritas, per *oculos* scientia rerum accuratissima, per *aures* attentio vel etiam benignitas, per *brachium* aut dexteram potentia, virtus ac robur, per *manus* vel eadem potentia vel auxilium aut venia vel pœna, flagellum aut correptio mitior, per *digitum* summa facilitas vel mirabile artificium aut donum Spiritus sancti, per *pedes* præsentia vel etiam indignatio in conterendis hostibus: similiter explicantur sensuum vocabula, nempe per *auditum* gratia et exauditio precum, per *odoratum* complacentia et delectatio honorum operum, per *gustum* et *tactum* alacritas et operatio: Item per *dimensionem* Dei exprimitur immensitas, per *stationem* constantia vel alacritas, per *sessionem* immutabilitas: denique per *pœnitentiam* Dei ac dolorem proponitur sceleris gravitas et severitas ultionis, per *iram* autem pœna atque vindicta.

Porro hunc esse Scripturæ sensum constat: 1°. ex eo, quod illa multoties Deum asserat *spiritum*, nec unquam, nisi ubi de Christo sermo est, corpus tribuat Deo; cui præterea proprietates plures cum corpore nullatenus com-

ponendas assignat. 2°. Quia vocat Deum subinde *lucem, ignem, leonem, alatum* etc.; quæ profecto nemo negabit figurate esse intelligenda. 3°. Quia nonnunquam, ubi corporeum quid Deo tribuit, caute monet, non esse sensu carnali accipiendum: Job. 10. *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis?* 1. Reg. 15. *Porro triumphator in Israel non parcat, et pœnitentia non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam* etc. His accedunt testimonia Patrum, maxime S. AUG. ep. 141: (al. 148). LACTANTIUS autem L. de ira Dei c. 16. et seqq. recte imprimis facit distinctionem inter affectiones *vitiorum*, v. g. libidinis et avaritiæ, quæ nullo modo competere Deo possunt, et inter affectiones *virtutum*, quales sunt charitas in bonis, ira in malis etc.: deinde vero has postremas quoad *effectum* et similitudinem statuit in Deo, quatenus v. g. sicut pater juste iratus punit filium inobedientem; sic Deus punit peccatorem ad emendationem: eas tamen Deo non adscribit quoad *affectum* seu hujus naturam aut imperfectionem et secundum proprietatem, cum ira in Deo non sit affectio quædam physica aut cum perturbatione conjuncta; *Non enim in commotione Dominus*, 3. Reg. 19.

41. *Nec dicas* 2°. Genes. 1. Homo dicitur creatus ad imaginem et similitudinem Dei: ergo, cum homo corpus habeat, illud etiam Deo concedendum est; præsertim cum PRUDENTIUS in Apothesi v. 1024. et seqq. et TERTULL. L. de Resur. carnis c. 6. agentes de creatione hominis, mentionem faciant *Divini corporis*.

Conf. Deus non tantum apparuit sæpius in figura humana, sed etiam homo factus est; adeoque habet verum et humanum corpus nostro simile: ergo.

R. D. A. Homo ad Dei similitudinem et imaginem est factus inadæquate et secundum animam duntaxat C. adæquate et secundum omnia N. Quamvis creatura nulla Deum perfecte repræsentare possit, et res corporea, teste Jobo, vestigia tantum Dei sint, non autem imagines; interpretes tamen cum plerisque SS. PP. animæ cum Deo similitudinem ponunt vel in eo, quod anima sit *pure spiritualis*, sicut Deus est purus spiritus, vel quod ratione triplicis suæ facultatis, *intellectus* scilicet, *memoriæ* ac *voluntatis*, quamdam Trinitatis analogiam exhibeat. Alia quidem fuit PRUDENTII et TERTULLIANI commentatio in hunc locum, utpote cum prior traderet, Deum hominis formationem suscepturum induisse humanum corpus, sacrisque digitis terram in membra distinxisse; alter vero adderet, Deum in hominis plasmatione futuram Christi Incarnationem menti habuisse præsentem, et ad hanc ideam duxisse ex limo hominem: sed enim licet in hujusmodi opinione dici possit, etiam corpus hominis factum esse ad imaginem alicujus corporis; hoc tamen non erat Deo proprium aut ex natura conveniens, sed aut libere assumptum, aut olim ad hominis redemptionem assumendum.

Ad Conf. R. D. A. Deus homo factus est per unionem hypostaticam cum natura humana C. per compositionem, quasi humanitas sit pars Dei N. Ex unione hac equidem natura humana ad summam perfectionem evecta est, divinæ tamen naturæ nihil inde perfectionis aut accessit aut decessit.

QUERES : *Quidnam sit sentiendum de quorundam Veterum circa hanc materiam opinione?*

42. *Nota.* Inter Theologos æque ac Historicos disceptatur, an Deum corporeum esse censuerint MELITO Sardensis in Asia Episcopus, vir pietate ac scientia seculo 2^o. illustris; TERTULLIANUS sub finem ejusdem seculi scriptor celebris et inter Patres laudari solitus; AUDIUS item seu AUDÆUS multorum Monasteriorum prope seculi quarti medium pater, doctrina quidem et monastica disciplina eximius, sed vel odio aliorum vel dogmatum erroneorum causa postmodum exilio mulctatus; ac tandem S. EPIPHANIUS proximo memorato coævus et suppar. MELITONEM quidem erroris arguunt Petavius, Cave, Joan. Clericus cum alijs; defendunt PHERMINIER, Boucat, Tournely et alii; TERTULLIANUM in suspicionem vocant S. Thomas, Petavius, Huetius, Pamelius et Critici plerique; excusant Natal. Alex. aliique cum prioribus patronis: AUDIUM incusant, quicumque volunt Anthropomorphitas ab eo dictos esse Audianos, et S. EPIPHANIUM etiam Socrates ac Sozomenus denigrare videntur; sed utrumque communior jam sententia absolvit. De singulis breviter nunc statuendum.

43. *Dico I.* MELITO SARDENSIS probabilius videtur ab errore Anthropomorphitarum fuisse immunis.

Ratio est 1^o. Quia nec Anthropomorphitæ, quod sane ad suæ sectæ defensionem non erant omissuri, unquam MELITONEM laudarunt inter eos, qui eandem secum opinionem habuerunt; nec Scriptores, qui de Anthropomorphitis egerunt, ut SS. Epiphanius et Augustinus, eundem inter erroris hujus defensores recensuerunt: quin Theodoretus ipse, licet mentem et opinionem Origenis de MELITONE referat, altum tamen silet de eodem, ubi de Anthropomorphitis tractat. 2^o. Quia Eusebius etiam, magnus alioqui Origenis admirator, L. 4. Hist., Hieronymus item de Scriptor. Eccles. aliique MELITONEM magnis afficiunt laudibus; nusquam vero incusant de hoc errore, quamvis illius libri meminissent, in quo solo tota Origenis querela fundatur; quorum sane primum facere, secundum omittere non potuissent tanti viri, qui susceperant non libros duntaxat Scriptorum recensere, sed et eorum orthodoxiam exprimere.

Si ais: Gennadius et Origenes MELITONEM arguunt hujus erroris. *Resp.* GENNADIUS præcipitantis in judicando et nimium facilis ad malam partem propensionis arguitur ab alijs; unde sicut ejus auctoritas non æstimatur, dum Dionysium Alexandrinum hæresis Arianae et Augustinum novitatis reos fecit, sic nec majus pondus habet, ubi MELITONEM exhibet Anthropomorphitam. ORIGENIS vero testimonium hoc legitur apud Theodoret. Q. 2. in Genes. *Ante omnia illud disceptandum est, ubinam constet istud: ad imaginem: in corpore, an in anima? Videamus porro, quibus utantur, qui prius asserunt; e quorum numero est Melito, qui scripta reliquit de eo argumento, Deum esse corporeum; unde patet Origenem ex inscriptione libri judicasse de ipso libro, et hinc MELITONI attribuisse errorem Anthropomorphitarum. Verum sive titulus illius libri ponatur cum Theodoro fuisse hic: ἐνώματον εἶναι τὸν Θεόν, sive cum Eusebio et Hieronymo iste: περὶ ἐνώματου Θεοῦ; deceptus*

videtur Origenes, dum ex eo intulit, MELITONEM statuisse Deum esse corporeum. Nam ἐνώματον non significare corporeum, sed potius, si ita loqui fas est, corporatum, ex vocis græcæ notione patet: quare Sixtus Senensis recte reprehendit versionem Theodoræti a Joanne Pico factam et proxime recitatam; Rufinus vero postremam inscriptionem latine reddidit *de Deo corpore induto*, Christophorus de Deo *incarnato*, Hen. Valesius *de Incarnatione Dei*. Licet enim liber memoratus alius sit ab eo, qui juxta Anastasium Sinaitam inscribitur περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, *de Incarnatione Christi*, tamen in eo libro secundum sententiam Prudentii vel Tertulliani sine errore potuit dicere, hominem etiam quoad corpus fuisse formatum ad imaginem Dei.

44. *Dico II.* TERTULLIANUS, si doctrina ipsius ac sensus unice et rite attendatur, jure etiam excusari potest ab errore Anthropomorphitarum. *Ratio est 1^o.* Quia in Apolog. c. 10. Deos Gentilium docet esse falsos, eo quod homines sint iique corporei; ergo existimare non potuit, Deum verum et unicum habere humanum corpus. 2^o. Quia plurima de Deo negat, quæ tamen corpori præsertim humano penitus necessario conveniunt, v. g. esse finitum et circumscribi loco, esse divisibilem et mutabilem, esse passibilem etc. Sed 1^{um}. a Deo removet L. contra Praxeam c. 5., ubi loquens de modo, quo Deus ante mundi creationem erât, *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia.* — 2^{um}. L. contra Hermog. c. 2. scribens, *Deum in partes non devenire, ut indivisibilem et inde mutabilem et eundem semper, qua Dominus.* — 3^{um}. Contra Praxeam c. 29., *Quid est enim compati quam cum alio pati? porro... si compassibilis, utique passibilis. Nihil ei vel hoc timore tuo præstas; times dicere passibilem, quem dicis compassibilem: tam autem incompassibilis Pater est, quam impassibilis etiam filius ex ea conditione, qua Deus est.* 3^o. Fides TERTULLIANI circa Mysterium Trinitatis sana omnino est, cum nihil accuratius scribi possit, quam quæ habet Apolog. c. 21. de filio loquens: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum; et ideo filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiæ: nam et Deus Spiritus est.* Et L. contra Prax. c. 2. *Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia sed forma; nec potestate sed specie; unius autem substantiæ et unius status et unius potestatis, quia unus Deus.* Sed hæc de Trinitate doctrina stare nequit cum errore de Deo corporeo; ergo.

Dixi: Si doctrina ipsius ac sensus unice ac rite attendatur. 1^{um}. Quidem; quia omnino damus, præter Criticos recentiores etiam SS. Augustinum et Fulgentium, D. Thomam et Gennadium attribuisse TERTULLIANO errorem de Deo corporeo. Quamvis enim aliqui judicent, S. Augustinum circa mentem TERTULLIANI videri dubium, eo quod L. de Hæres. c. 86, dicat: *Potuit propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanita;* ibidemque addat eundem nunquam admisisse Deum passibilem, et nusquam ex eo, quod Deum statueret corporeum, fuisse habitum ut hæreticum: fatemur nihilominus S. Doctorem minus fuisse sollicitum de TERTULLIANO ab hoc errore vindicando; quin eundem etiam ut errantem frequenter, maxime ep. 157. c. 4. (al. 190. c. 4. n. 14.) et L. 2. de Anima et ejus origine c. 5., exhibuisse; quod tamen impedire nos non decet, quominus sine læsione reverentiæ tanto Doctore debita, in quæstione critica aliter sentire liceat, et famæ

TERTULLIANI favere, quantum strictiora veritatis jura sinunt aut imperant. 2^{um}. Vero addidimus; quia ad TERTULLIANI in hac re doctrinam assequendam observandum est triplici sensu nomen corporis apud veteres fuisse usurpatum, 1^o. *latissime* et per oppositionem ad inane, vacuum ac nihil; quo sensu corpus dicitur omne id, quod reale est ac subsistit, et sumpsit seculo quarto PROEBADIUS Ep. Agenensis L. contra Arian. c. 20.—2^o. *minus late*, sed adhuc improprie, et per oppositionem ad id, quod nullis limitibus sive loci sive temporis circumscribitur; quo sensu omne finitum dicitur corpus, et usurpavit S. HILAR. in Matth. c. 5. n. 8.—3^o. *stricte ac proprie* et per oppositionem ad ens carens materia; quo sensu quidquid certa mole, figura et magnitudine constat et circumscribitur, usitata loquendi formula corpus dicitur.

Si ais 1^o. TERTULLIANUS 1. Diserte asserit Deum esse corpus, dum L. contra Prax. c. 7. scribit: *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis... sed et invisibilia illa, quaecumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam.* 2. Non agnoscit aliquod medium inter corpus et nihil; ut patet ex L. de Carn. Christi. c. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est.* 3. Animam hominis statuit proprie corpoream, et tamen hoc probat ex eo, quod non sit nihil, cum L. de anim. c. 7. dicat: *Nihil est, si non sit corpus.* 4. Tribuit Deo membra, et passiones non distinctas a passionibus hominum nisi penes accidentia, ut constat ex L. 2. cont. Marc. c. 16.

R. *Ad* 1. et 2. D. TERTULLIANUS asserit Deum esse corpus latissime et improprie sumptum, et non agnoscit medium inter corpus latissime sumptum ac nihil C. Deum asserit esse corpus proprie acceptum, et inter hoc ac nihil non agnoscit medium N. TERTULLIANUS contra *Praxeam* plus non intendit, quam Deum non esse nihil, vacuum aut inane; satis autem in utroque textu ostendit, se non agere de corpore proprie dicto per additam restrictionem: *corpus sui generis*; praesertim, cum etiam L. contra Hermog. c. 35. scribat: *Ipsa substantia corpus est rei cujusque*; et contra eundem, qui materiam aeternam nec spiritualem nec corporalem volebat, demonstrat dari substantiam incorpoream stricte et proprie loquendo, quae tamen corporis appellationem aliquo et *latissimo* sensu sortiri queat.

Ad 3. D. Similiter: probat animam esse corpus late ac improprie sumptum ex eo, quod non sit nihil C. proprie sumptum N. Pro suo de animae corporeitate errore alias omnino rationes affert, simulque docet Deum non esse tale corpus, visibile scilicet et passibile, quale volebat animam.

Ad 4. D. Tribuit Deo membra tropice C. proprie N. Item passiones ab humanis non distinctas nisi penes accidentia, quae spectant ad corpus ipsum et illud arguunt, adeoque distinctionem essentialem inferunt C. non distinctas nisi penes accidentia quaecumque, et in simili natura et substantia N. De membris humanis TERTULLIANUM inter et Marcionem nulla quaestio erat, sed de animi motibus tantum; quos Marcion a Deo, ut ejus providentiam negaret, exclusit, TERTULLIANUS autem admisit, et comparatione humanorum membrorum in Scriptura memoratorum explicavit, addens membrorum et passionum nomina Deo et homini posse esse communia, licet res nominibus expressae sint prorsus diversae: unde membra in Deo nec agnovit nec agnoscere fatebatur nisi tropice talia. Passiones in Deo a TERTULLIANO admissas aliqui negant, asserunt alii; quod si eas admisit, statuit ab omni principio

corruptorio immunes, ac proinde expertes omnis motus in corpore et alterationis in animo; ut ex cit. L. et c. patet.

45. *Dico III.* AUDIUS contendebat quidem tenacius hominem ratione corporis ad Dei imaginem fuisse factum, Deum tamen Anthropomorphon non admisit. *Ratio* est 1^o. S. Epiphanius silentium, qui cum primum dogma impugnavit, de postremo errore plane nihil meminit. 2^o. Ejusdem S. Doctoris ratiocinium, quo contra prius illud Audianae doctrinae caput pugnant arguit, exinde sequi Deum esse Anthropomorphon. Haec enim ratiocinatio foret insulsa, si AUDIUS Anthropomorphita fuisset; in casu tamen contrario recte ac legitime urgebat. 3^o. Testimonium, quo idem S. Epiphanius faletur AUDIUM sententiam fuisse *Catholicam* de Trinitatis mysterio. Fides autem de hoc Catholica stare nequit cum errore Anthropomorphitarum.

Si ais. S. AUG. et Facundus Audianos, Theodoretus autem AUDIUM ipsum hujus erroris reos faciunt. R. Praevalere hic debet auctoritas S. Epiphanius et coaevi et accurati examineris hujus controversiae, praememoratis Patribus et aetate posterioribus et minus etiam in hac re curiosis, ut ex eo colligitur, quod Aug. et Facundus discipulos AUDIUM errore nominis VADIANOS vocaverint. Deinde magistrum duntaxat, non vero discipulos vindicamus ab errore, qui ex horum ignorantia et rusticitate ortum duxit: unde tamen et ex dogmate AUDIUM circa imaginem Dei suspicionem suam Theodoretus traxisse videtur.

46. *Dico IV.* S. EPIPHANIUS nulla ratione Anthropomorphitis est annumerandus. *Ratio* est, quia voce et scripto eorum errorem damnavit. 1^{um}. quidem narrat S. Hier. in L. cont. Joann. Hieros. n. 11. quo docet, quod cum Joannes Patriarcha Hieros., praesente S. EPIPHANIO, insurgeret contra Anthropomorphitas, et illum tacite velut hujus erroris reum traduceret, S. D. sermonem capiens: *Cuncta, inquit, quae locutus est collegio frater, aetate filius meus, contra Anthropomorphitarum haeresin, bene et fideliter locutus est, quae mea quoque damnatur voce: sed aequum est, ut quomodo hanc haeresin condemnemus, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus.* 2^{um}. constat ex ejus Panario, ubi haeresi 70. AUDIUM reprehendit, quod imaginem Dei in hominis corpore reponeret, quae opinio vel fundamentum vel occasio fuit haeresis praedictae; atque in hujus dogmatis impugnatione Deum ostendit *incorporeum, invisibilem et Spiritum omnes Spiritus exsuperantem.*

Si ais. Socrates et Sozomenus narrant, S. EPIPHANIUM abjecte sensisse de Deo, et incusatum fuisse de anthropomorphitarum haeresi; habuisse amicitiam cum Theophilo Alexandrino, qui Monachos Anthropomorphitas in communione retinuerat; cum eodem in Conciliis damnasse Origenis scripta, qui Deum defendit incorporeum.

R. Historici illi prius non asserunt, sed duntaxat referunt EPIPHANIUM erroris accusatum esse (jure an injuria, non expendunt) a Joanne Hieros. acerrimo Origenis defensore, et Theophilo Alex., qui primum contra S. Doctorem inimicitias gessit, postea vel errore detecto, vel redintegrata amicitia, primam mutavit sententiam. Praeterea potuit EPIPHANIUS cum Theophilo fovere amicitiam, etsi diversam ab eo circa quaedam dogmata gereret sententiam: potuit Theophilus monachos ex ignorantia errantes tolerare, aut ex communi contra fratres longos odio, amicos habere sine conspirante in dogmati-

cis mente. Denique alias ob causas Origenis scripta esse damnata patet aliunde, et memorata Concilia nihil erronei habuisse constat ex laudibus, quas D. Hieronymus illis illorumque Præsidibus dedit.

ARTICULUS II.

AN DEUS IN SUA ENTITATE COMPLECTATUR OMNES PERFECTIONES?

47. *Nota.* Perfectiones, quæ Deo insunt, aliæ sunt plane *divinæ*, h. e., quæ soli Deo conveniunt: aliæ dicuntur *create*, h. e., quæ etiam creaturis communicantur. Creata perfectio vocatur *mixta*, vel *secundum quid*, quæ licet in se bona, habet adjunctam aliquam imperfectionem: *simplex*, vel *simpliciter talis*, quæ quidem nullam involvit imperfectionem, stare tamen nequit cum alia perfectione æquali: *simpliciter simplex*, quam definit S. Ans. in Monol. C. 14. quæ est melior ipsa, quam non ipsa, h. e., quam omnis perfectio cum ipsa impossibilis seu ei non identificabilis; unde ad hanc Theologi requirunt geminam conditionem, nempe ut ratione sui et formaliter non includat aliquid imperfectionis, neque etiam excludat aut excludatur ab alia perfectione æquali vel majore. Potest autem perfectio contineri vel *formaliter*, cum secundum se seu formam ac naturam propriam inest enti; vel *eminenter*, si inest perfectio altioris ordinis, quæ aliam perfectionem producere potest, vel idem præstare, quod illa alia perfectio præstat. Ex quo postremo etiam patet, quid sit *virtualiter* vel *æquivalenter* in altero contineri.

48. *Dico I.* Deus aliquo modo in sua entitate continet omnes omnino perfectiones.

Prob. Exod. 33. 19. Deus de se Moysi loquens inquit: *Ostendam omne bonum tibi.* Sed nisi Deus aliqua ratione contineret omnes perfectiones, non esset omne bonum; cum quælibet perfectio sit bonum. S. AUG. enarr. 2^a. in Ps. 26. n. 8. Deum vocat *Bonum omnis boni*; S. DIONYSIUS autem de div. Nom. c. 5. §. 4. *Deus*, inquit, *non quoquo pacto est ens, sed simpliciter et incircumscripte totum in se esse pariter ambit*; Et DAMASC. L. 1. Orth. Fid. c. 12 (al. 9.) de Deo ait: *Universum id, quod est, tanquam immensum quoddam et infinitum essentiae pelagus complexu suo continet.*

Conf. Deus est ens a se, hoc autem omniperfectum est; Deus est ens, quo melius cogitari non potest; quod præter Scripturam Ps. 44. 3., ac Eccli. 43. 33., Baruch. 3. 23. id innuentem, recta etiam ratio postulat. Sed tale ens non foret, nisi omnes perfectiones contineret. Demum si aliqua perfectio possibilis non contineretur aliqua ratione in Deo, illa esset possibilis, ut supponitur; et simul non esset possibilis: non enim posset existere a se; quia nihil se ipsum producere valet: neque a Deo; quia Deus nullo modo illam haberet: neque a creatura; quia si Deus illam nullo modo habeat, creatura multo minus habet, cum hæc nihil boni teneat, quod a Deo tanquam a prima omnium causa non acceperit, ad Rom. 11. 17. *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ergo.

49. *Dico II.* Deus perfectiones mixtas continet tantum eminenter, simpliciter simplices formaliter.

Prob. 1^a. pars. Deus perfectiones *mixtas* continet aliquo modo: sed non continet formaliter; quia secundum propriam formam sumptæ adversantur nobiliori perfectioni, et aliquid defectus aut imperfectionis in se continent, ideoque in C. Later IV. (Lab. t. 11. p. 148.) damnatus est ALMARICUS, qui contendebat creaturas omnes de Deo vere ac proprie dici posse; ergo continet eminenter tantum. Dein quidquid in perfectione mixta bonum est, in Deo habetur excellentiori modo; agnoscit id Psaltes canens Ps. 93. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui fixit oculum, non considerat?* Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus.* Et S. AUG. L. 5. de Trin. c. 1. n. 2. *Sic intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præidentem.* Demum perfectiones mixtas Deus producit per suam omnipotentiam, et quod illæ non absque defectu præstant, ipse cum singulari excellentia ac sine ulla imperfectione præstat. Ergo.

Prob. 2^a. pars. 1^o. Perfectiones *simpliciter simplices* insunt Deo secundum propriam sui rationem ac formam, et de eo affirmantur sub propria notione et appellatione, ut constat ab inductione perfectionum ejusmodi, quarum aliquæ recensentur Prov. 8. 14. *Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*; ergo. 2^o. Ex eo, quod Deus sit ens, quo melius et perfectius cogitari nequit, recte arguitur in illo contineri formaliter perfectiones, quas melius est formaliter habere quam non habere: et nulla in ejusmodi perfectionibus est ratio, vi cujus prohibeantur Deo formaliter inesse. Sed tales perfectiones sunt *simpliciter simplices*: ergo.

50. *Observe.* Deum non tantum omniperfectum, sed et *infinite perfectum* esse, h. e.; omne genus perfectionis in gradu eminentissimo continere, ex iisdem rationibus probatur. Hinc S. HILAR. in Ps. 144. n. 6. *Hæc, inquit, Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiat, temporibus non subditur.... Finem magnificentia ejus nescit, et aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitudinis suæ laudem: cæterum omnem intelligentiam infinite hujus in se qualitatis excedens.* Unde patet, aggregatum ex Deo et creaturis non esse aliquid Deo solo perfectius, quia ratione non minus quam D. AUGUSTINI L. 6. de Trinit. c. 8. testimonio constat, infinitum augeri non posse; præterea vero per additas creaturarum perfectiones aggregatum illud non nisi solo numero, minime vero excellentia crescit; imo etiam ob adjunctos illis defectus excellentiæ aliquid amitteret.

ARTICULUS III.

QUENAM PERFECTIONES CONSTITUANT ESSENTIAM DEI PHYSICAM?

51. *Nota.* Statum realem seu essentiam physicam Dei hic non posse sumi pro composito ex partibus physicis, sed duntaxat accipi pro complexu perfectionum Deo realiter identificatarum, manifestum est ex hætenus dictis. Potest autem essentia hoc modo spectari vel *philosophice*, si nempe consideratur